

Quinimo publicus docentium cursus,
suis quasi cancellis impeditus,
ad maximè necessaria procedere ut plurimum jubetur:
Privata vicissim hæc libertas,
dulci hoc nomine, studiorum novam conciliat dulcedinem.

Proinde

Si qui Præceptores olim sequentur Theologos,
Hebraicæ Lingvæ apud me percipient rudimenta;
qui ex adverso inter Politicos florere cupiunt,
redire me ad Orationes, nuper intermissas, intelligent.

Ac adeo,

Juvenes dilectissimi,
quod nuper in fériis nuptialibus à me promitti meministis,
omnem quietis fructum è vestris profectibus,
omnem vitæ svavitatem è studiis vestris vitæ adsefactis,
omnem deniq; amorem è fœcunda vestra præsentia
metiri constitutum est.

Hoc nimirum fuerit otio non abuti:

Quid? hoc fuerit juvenilibus negotiis
provectioris ætatis meliora præparare otia:

Imo hoc fuerit amare Præceptorem,

Si ab ejus sive latere sive pedibus
ne feriandi quidem licentia vos dimoveat.

HABEAMUS CANICULARES,

Sed quales coluit Majolus, quales Lipsius

Puteanus, Muretus & alii,

quorum præcipua scripta etiam debemus Canicularibus.

Sic Deus feliciter effluere jubeat Mensem hunc,

Messesq; tum horreis tum ingeniis largiatur

quam maximè salutares!

